

Albert Willebrand

**Programma Quo Rector Universitatis Rostochiensis Albertus Willebrandt/ U.I.D.
... Matronae Catharinae Masiae, Viri ... Dn. Hinrici Custeri, Phil. & Med. D. ac ...
Christiani V. ... Archiatri, olim Uxoris, Funus solenniter indicit, & ad eundum
exequias Omnium ordinum Cives Academicos officiose invitat**


Rostochi[i]: Kilius, 1663


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn770292585>

Druck Freier  Zugang



Willebrandt, A.,
in
C. M a s i u s,
uxor. H. Custer.
Rostock, 1663.





PROGRAMMA

Quo
RECTOR

Universitatis Rostochiensis

ALBERTUS Willebrandt/

U. J. D. Codicis Professor ac Consi-
storii Ducalis Assessor,

Clarissima MATRONÆ

 CATHARINÆ
MASIÆ,
VIRI

Experientiss. & Excellentiss.

DN. HINRICI CUSTERI,

Phil. & Med. D. ac Sereniss. gl. mem.

CHRISTIANI V. electi Dan. ac Norveg. Prin-
cipis, Archiatri, olim Uxoris,

Funus solenniter indicit,

& ad eundem exequias

Omnium ordinum Cives Academicos
officiosè invitat,



ROSTOCHI,

Typis JOHANNIS KILII, Acad. Typogr. 1663.



E Matronarum famâ
oratione celebrandâ
morosior *Thucydidis*,
Georgia Leontini huma-
nior olim fuit senten-
tia. *Ille* enim primam
laudem ei tribuit *Fœ-*
minæ, de quâ foris vel nullus, vel mini-
mus in bonam malamvè partem sermo
fit; seu quæ nec ob malefactû, nec ob e-
gregiû facin⁹ virtutesq; insignes, sermo-
ne publico celebretur: *Hic* verò *Mulieris*
non quidē formam, sed nomen ac dec⁹
notam quàm maximè esse volebat; ne-
que contineri in angulo exempla egre-
gia, sed egredi limen & famam sequi
debere, quò innotescerent pluribus,
quæ omnes decerent. Rectius id lon-
gè præ-

gè præclariusq; inculcatum *Sophista*,
quàm defenfitata *Historico* sua est alleve-
ratio. Enimverò cùm Mulierum sæpe-
numerò virtus non minor, quam viro-
rum sit, nec minùs magnitudo animi in
Timocleâ aut *Porciâ*, quàm in *Polopidâ* aut
Bruto spectetur, quæ afferri, quæso,
caussa possit, cur non eandem etiam,
gloriam consequi, earumq; exempla,
egregia, non secus ac virorum, publi-
cis laudibus efferi mereantur? Roma-
ni certè cùm alia multa, tum hoc præ-
primis prudenter ac graviter ordinave-
re, uti funera non tantùm Virorum, sed
& Mulierum publicè pro rostris lauda-
rentur; quo quidem honore *Popiliam*,
Catuli matrem, primò omnium affectam
fuisse, proditum abs *Tullio* de Oratore
est. Ac CATHARINÆ quidem, quæ
tumulanda hodiè, componendaq; est,
eò promptiùs ac cumulatiùs id officii
ac benivolentiæ genus præstandum vi-
deba-

debatur, quòd ipsa in tantum laudanda
Fœmina fuerit, in quantum matrona-
lis virtus, probitas, ac excellentissima
ab omni parte indoles exseri aut intel-
ligi unquam possint. Ad quod plura
etiam alia accedebant, quæ nihil usita-
tum in eâ aut vulgare saperent, sed
communem ferè naturæ ordinem cur-
sumq; transcenderent; nec quicquam
in mulierum ulla magni fieri ab aliquo,
amariq; sapienter posset, quod non o-
mne possedisse illa, atq; abundantissi-
mè tenuisse crederetur. Igitur TAN-
TÆ VIRTUTIS texemus jam publici-
tùs, scripto hoc ac sermone nostro, hi-
storiam; & quidem observato nar-
randi ordine: scilicet à cunabulis ac stir-
pe ejus exorsuri hanc telam; in morte
& obitu eandem absoluturi. Nata ita-
que est ROSTOCHI, Urbe ac Acade-
miâ clarissimâ, Anno currentis seculi
IV. ipsâ JACOBO sacrâ die: Patre Vi-
ro spe-

ro spectatissimo ac honoratissimo DN.
DIONYSIO **Maes**; Matre verò Eximiâ
Clarissimâq; WENDULA **Gerdes**. Avum
paternum habuit Virum Amplissi-
mum DN. ANDREAM **Maes**/Senatorem
præclarè de Urbe ac Repub. meritum;
Aviam paternam, ANNAM **Müllers**/
singularis exempli Matronam. Avus
maternus fuit Vir prudentissimus DN.
MARQVARDUS **Gerdes**/Senator; Avia
materna MARGARITA **Gladowen**. Pro-
avum Paternum extitisse accepimus
Rev. & clarissimum Virum DN. AN-
DREAM **Maes**/Phil. M. ac Sverinensium
Ecclesiastam benemerentissimum;
Proaviam paternam, CATHARINAM
Blumen. Proavum maternū, signatum
est, fuisse DN. VINCENTIUM **Gladowen**/
eximium planè Virum, primariumq;
Urbis nostræ Civem; Proaviam ma-
ternam, WENDULAM **Brocks**/cuius ve-
terum comparandam Matronam. Hi

FUNCTÆ Parentes, hi Majores sunt.
Quàm primùm lucem conspicaretur,
lustrata continuò (ita enim sordibus ac
peccato inquinata nativitas omninò
poscebat) sacro fonte, CHRISTOQ; ac
Ecclesiæ ejus inserta est. Trimestre
saltem nata Patrem amisit: post dupli-
catam eam ætatem, insecuta continuò
ipsius quoq; Matris mors est. Uthac
ratione bis quasi pupilla fieret, quum
post functum unum, altero etiam, im-
mature obitu prærepto, parente desti-
tueretur. Sed benè habet: *EST DEUS*
nobis; nec potest non subvenire; cum sit & omnium
Rector, & amator suorum: Cæterum in adversis
unumquemq; maximè explorat & examinat; inge-
nium singulorum periculis pensitat; usq; ad extre-
nam mortem voluntatem hominis sciscitatur; nihil
sibi posse perire securus. Itaq; ut aurum ignibus, sic
nos discriminibus arguimur: Præclare, &, su-
pra quàm dici possit, christianè scriptū
Minucio Felici est, in Octavio. Sanè hoc ipso
DEO, & providente suis, & exploran-
te et-

tē etiam suos, factitatum est, uti Paren-
tum vice fungerentur, aut jacturam
eorundem egregiè sarcirent & Avia,
MARGARITA GLADOVIA; & Frater DIO-
NYSIUS MASIUS; sub quorum curâ ad
optima quæq; à teneris usq; & honestif-
sima, educta atq; assvefacta est; eorundē
que virtutes tanquam cū lacte quodam
imbibit; mox & exemplo ipsorum in-
vitata, rectiùs indies expressit. Nam ve-
luti arbores eum statum retinent, quē
ab Agricolæ ductu curâq; acceperint;
ita & juniorum animi tuentur eam ac
servant imaginem, quam ij, sub quo-
rum tutelâ adoleverint, primis annis
impreserint. Neq; enim ea se immo-
rigeram, & minùs audientem dicto,
aut contumacem unquam præbuit; sed
colere, sed vereri Nutritios suos sem-
per visa est, iisq; promptè obsequi, ac
citiùs facessere mandata, quàm præ-
cepissent penè. Quò verecundia sin-
gula-

gularis; & summum pudicitiae accedebat studium; cum tamen interim asperitatem rusticitatemque; procul haberet; quippe quae laetissima esset indole, & velut facta ad omnem morum elegantiam ac suavitatem. Accedebat rei familiaris scientia, quam ita exercebat, ut deterrere plures potuerit, qui adspirarent ad illam laudem. Adeo nihil ignorabat eorum, quae tum ad augendam rem, tum constituendam facere viderentur. His tot eximiis virtutibus ornata cum esset, mirum non est, si hoc, veluti efficacissimo philtro, Virum ac conjugem sibi conciliaverit **Experientissimum & Excellentissimum DN. HENRICUM CUSTERUM, Phil. ac Med. D. Serenissimique CHRISTIANI V. electi Daniarum Norvegiarumque; gloriosiss. mem. Principis, Archiatrum;** cui XV. aetatis ingressa annum desponsata, a suis, brevi que; post in matrimonium, elo-

elocata legitimè est. Quicum ita vixit semper,
uti eximiæ matrisfamilias ac Conjugis numeros
facile adimpleret. Nam sicut ille nihil magis stu-
debat, quàm uti omni amoris ac benivolentiæ
genere prosequeretur tantæ indolis conjugem;
ita hæc obsequio, fide, humanitate & reverentiâ
magis magisq; indies demereri virum conten-
debat.

Rara est maritis Conjugum istiusmodi

Captura: pravas facile ubi vis reperias.

Sed & fœcundus, DEI benedictione & gratiâ,
iste fuit torus, ut ex quo bini Filii, HINRICUS &
ANDREAS; totidemq; Filia, CATHARINA,
WENDULAq; nascerentur. HINRICUS
Phil. ac Med. tandem D. uxorem sibi adscivit ele-
gantissimam Virginem, AUGUSTAM-MARI-
AM, spectatissimi Amplissimiq; Viri, DN. JO-
ANNIS Rødings / Sereniss. Slesv. ac Holsat. Du-
cis Camerae-Præfecti, unicam Filiam; ex quâ
HINRICUM ac CAIUM-JOANNEM Filios genu-
it, etiamnum superstites. Ipse verò ille ante
hos VI annos, fato beatè functus suo. Relicta vi-
dua Amplissimo VIRO, DN. JUSTO Strohm/
J. U. D. ac Hadelensium Syndico gravissimo, al-
teris nuptiis sociata. ANDREAS, Medicinæ Can-
didatus, politissimus Juvenis, vivus ac præsens,
svavissimæ Matris funera cum luctu lacrimisq; se-
quitur.

B

quitur.

quitur. Filiarum natu grandior **CATHARINA**,
pl. Rev. Amplissimo ac Excellentissimo **DN. JO-**
ANNI Reinbothen / **S. Th. D. Serenissimiq;** **Holsat.**
ac **Slesvici Ducis Superintendenti Generalis.** ac
aulico **Concionatori celeberrimo,** **Favitori ac A-**
mico nostro singulari, feliciter nupta, sexiesq; ex
eodem Mater facta; ter in masculâ, terq; in foe-
mineâ prole. Ibi produxit **HINRICUM,** **FRI-**
DERICUM, **JOANNEM ADOLPHUM:** Hic ve-
rò **CATHARINAM,** **MAGDALENAM-SIBYL-**
LAM, **MARIAM-ELISABETHAM.** Ex quibus
filiabus prior & ultima, cœlum, undè venerant,
jam repetierunt suum. **Intermedia Nobili, Clariss.**
Consultissimoq; **VIRO,** **DN. FRIDERICO Züger** /
J. U. D. ac Sereniss. Holsat. Ducis Camera- Secre-
tario, juncta, **CHRISTIANUM-ALBERTUM,**
& **JOANNEM-FRIDERICUM** filios peperit,
pluribus jam immaturè adnumeratos. Cæte-
rùm **WENDULA CüSTERIA,** quam filiarum;
isto è thalamo prodeuntium, fuisse diximus alte-
ram, superstitat, (**REINBOETHIANA** jam seculo
egressa) **Matri eodem cum Fratre adfectu ani-**
moq; **itura exequias.** Sed è diverticulo in viam,
& ad ipsam illam, cui hoc scribendi officium im-
pendimus. Anno Seculi hujus **XLVI. die 12. O-**
ctobt. **VIRO** orbata est suo; adeoq; ista aman-
tium arctissima fidissimaq; soluta copula. Quo
misera-

miserabili casu, aut acerbissimæ calamitatis genere, quin tantum non oppressa initio fuerit, dubitare nemo temerè habeat. Nam quamvis multa sint, quæ mœrorem nobis in vitâ & ægritudinem afferre queant, omninò tamen statuendum, nihil acerbius aut tristius accidere quicquam posse, quam ubi duo summâ animorum concordia ac fide vincti invicem, & longâ præterea consuetudine, ac communione rerum omnium juncti, sanctissimèq; amantes, necessitate ultimâ diveltuntur. Sed quod ex re ipsâ non potuit, è tempore tandem levamen petiit, solata crucem, aut dolorem mitigans, quantâ potuit ratione unquam; nilq; magis renuens, quam (quod cætero qui per ætatem non incommodè facere quiverat) novo conjugio applicari; non quod iteratarum nuptiarum experientiam illegitimæ intemperantiæ signum esse crederet, alteraq; adeò vota (in quæ justo impotentius invecus in veteri Ecclesiâ non est nemo) damnaret; sed ob causas non unas alias, quarum princeps, sine dubio, fuit, uti eo ipso, quanto primum profecuta amore Mari-ti esset, ostenderet, nefas omninò arbitrata, si animû istum suum cum quovis alio partiretur. Totos itaque XVII. annos vidua, omni eo, quod mandanum, adeoq; ludicrum foret, valere jusso, DEO Cœloq; vacavit, id est, ita egit, uti sanctè

semper, incorruptè, sineq; notâ ac fabulâ viveret, nihilq; committeret unquam earum rerum, quæ probro sibi aut dehonestamento esse possent. Nam quæ cadere in istum sexum virtutes solent, eas omnes à primâ jam ætate (ut supra monebamus) induerat animo, perpetuòq; in vitâ expresserat, ut pariter & præteruisse plures alias, & simul seipsam quodammodo superavisse existimaretur. Pietatis autem studia atque exercitia, quanquam etiam ista nunquam antè neglexerat, omnium tamen maximè iis coluit temporibus, quibus sola sineq; Marito esse iussa est. Norat virtutem esse eam, quæ ad omnia utilis foret, promissisq; hujus ac venturæ vitæ stiparetur. Publicis sacris ac concionibus summâ semper devotione (nisi valetudine artineretur) interesse; sed & domi assiduè cum familiâ vel inter pensa colusq;, & cæteras muliebres operas, tùm canere, tùm de rebus divinis loqui; nec quicquam unquam auspicari, quod imponeret muneris ratio, priusquam DEO reddidisset suum. Neque enim aut privatim, aut publicè quicquam rectè feliciterq; suscipi atque administrari existimabat, nisi ritè curatum antè Numen, conciliatumq; esset, cujus solius benivolentia ac favor quavis re aliâ valentior foret, & solus secundiorem cœptis eventum largiretur. Itaque omnium calamitatum ac miseriarum, quas

quas tot nunc annos patimur, causas non aliò te-
merè referre solebat, quàm quòd prolapsis adeò
pietatis rebus, in omnis generis flagitia sceleraq;
certatim penè rueretur. Sed neque proximum,
què laborare, aut opis suæ indigere intellexerat,
destituit, sed ita iuvit, uti propemodū ipsi⁹ libera-
litas præcordia habuisse videretur. Magnæ pro-
fectò hæc dotes *NOSTRÆ* fuere, quæque adeò in-
signe documentum præbent, non planè effœ-
tum seculum nostrum gignendis virtutibus esse,
& adhuc magna exempla edere posse, ne sola an-
tiquitas de *MARCELLIS*, *PAULLINIS*q; aut hu-
juscè generis pluribus aliis, gloriari habeat: *Pli-
nius* eximie: *Sum ex iis, qui mirer antiquos; non
tamen, ut quidam, temporum nostrorum ingenia de-
spicio. Neque enim quasi lassa & effœta natura, ut
nihil jam laudabile pariat. Cornelius Tacitus, at
quantus Scriptor! æquè præclare: Rebus cunctis
inest quidam velut orbis, ut, quemadmodum tempo-
rum vices, ita & morum vertantur; nec omnia apud
priores meliora, sed nostra quoque ætas multa laudis &
artium imitanda posteris tulit. Idem: Nullum
adeò virtutum sterile seculum est, ut non & bona
exempla prodat. Vicia erunt donec homines, sed
neq; hæc continua, & meliorum interventu pensantur.*
Cæterum dicemus jam de fine *BEATISSIMÆ*,
sed paucis id quicquid negotium expedituri. Se-

ptimo Aprilis fiebat, uti, quum sacrâ æde exiisset, incredibili horrore perstricta, gravissimâ brevipost feberi corriperetur. Statim adfuerunt medentium auxilia; quodq; saluti esse unquam posset, maturè adhibitum; nequicquam tamen adeò, uti nullâ arte, nullâ virtute leniri vis morbi quiret. Quamvis enim in rectius ire res decumbentis nonnunquam viderentur, recruduit tamen illico malum, uti morbum hunc rectores valetudinis nostræ, & *risores, ayadurias*, mortis apparitorem ex facili prædixerint. Placet inferre Experientis. & Excel. DN. JOANNIS BACMEISTERI, Med. D. ac Prof. Collegæ conjunctissimi, sententiã, ac super morbo judicium. Vocatus, inquit ille, ante aliquot septimanas ad Matronam honestissimam CATHARINAM MASIAM, Viduam DN. D. HENRICI CUSTERI. p. m. statim sub ingressum explorato pulsu illam Peripneumonia s. Pulmonis inflammatione laborare animadverti, quod malum consueta comitabantur symptomata, utpote, maxima pectoris angustia, summa respirandi difficultas, tussis gravissima, febris acuta, nec non vigilia continue, quibus omnibus quamvis exquisitissimis obviam itum remediis; tamen nihileâ profuere, sed accedente pertinacissimâ alvi constipatione, paucorum dierum spatio, vires planè deprehensæ sunt collabi, & ultima hora indicata imminere. Haftenus ille: Sane quum
ipsa

ipsa etiam Ægra superq; animadverteret, colligendas sibi brevisarcinas, deq; hac vitâ discedendum esse, omnes rerum humanarum curas procul exegit animo, & sola divina atq; cœlestia meditari ac secum agere cœpit. Inprimis verò id dedit operam, ut seriâ pœnitentiâ exsolveret erroribus animam, & ad discessum suum ex corpore providè pararet. Sumto extremo, eodemque, si rectè utaris, maximè salutari viatico, immotum ac firmum in Redemptorem Conservatoremq; mortalium, J. CHRISTUM à terrâ subinde direxit animum; quòd satis superq; innuere visa sunt crebra illa suspiria & preces, quas emisit etiam tum, cum jam officio nō amplius fungi lingua, sed balbutire inciperet. Et verò nihil ad nos attinet, hæreat lingua constrieta silentio, conniveant oculi, jaceant artus, & altâ quiete membra torpeant; modò ad DEUM spiritus vigilet, modò Servatoris merito innitatur animus, & tacita mens in cœlum clamet, non malè quisquam obiturus est diem. Tandem XI. April. circa vesperam factitatum, uti placido prorsus, leniq; soluta obitu, rebus humanis excederet, relinquens post se ut plurimarū egregiarum virtutum sexui suo exemplum, sic liberis, Genero Amplissimo, cæterisq; sanguine junctis grande sui, ac planè acerbum desiderium.

Cæte.

suo exemplum, sic liberis, Genero Amplissimo, cæterisq; sanguine junctis grande sui, ac planè acerbum desiderium.

Cæterùm quamvis illa suo nunc potita Cœlo, de rebus mortalium ampliùs sollicita parùm sit, nec ullo vel splendidissimo exequiarum apparatu teneri possit; tamen non negligendæ ipsius sunt reliquæ; quin omni potiùs honoris genere, quo affici vitâ functi solent, corpus, in quo tam nobilis & supra vulgarem conditionem evecta hospitata est anima, prosequendum. Vos itaq; CIVES ACADEMICI, cùm vivæ nullum ampliùs possitis, mortuæ saltem hunc honorem habeatis, uti decenti ratione, frequentiq; numero eatis exequias. Quod ipsum & FUNCTÆ, quàm toties prædicavimus, virtus, & clarissima Familia mereri, aut jure quasi quodam suo exigere videntur: Et nos etiam officiosè id abs vobis amanterq; contendimus.

P. P. sub Sigillo Rectoratus


die XXII Maji.


Convenietur in Æde B. JACOBO

facrà,

Hora I. pomerid.








miserabili casu, aut acerbissimæ ca-
re, quin tantum non oppressa initi-
tare nemo temere habeat. Nam
sint, quæ mœrorem nobis in vitâ
afferre queant, omnino tamen sta-
acerbius aut tristius accidere qui-
quam ubi duo summâ animorum
fide victi invicem, & longâ præ-
dine, ac communione rerum o-
sanctissimèq; amantes, necessitat-
tuntur. Sed quod ex re ipsâ non
pore tandem levamen petit, sola
dolorem mitigans, quantâ potu-
quam; nilq; magis reuens, quâ
ro qui per ætatem non incommod-
rat) novo conjugio applicari; no-
rum nuptiarum experientiam ille
perantiæ signum esse crederet, alt-
(in quæ justo impotentius inve-
clesiâ non est nemo) damnaret;
non unas alias, quarum princeps,
uti eo ipso, quanto primum profec-
tū esset, ostenderet, nefas omnino
mū istum suum cum quo vis alio p-
itaque XVII. annos vidua, omni-
danum, adeoq; ludicrum foret
DEO Cœloq; vacavit, id est, ita

B 2



ene-
lubi-
multa
nem
nihil
se,
iâ ac
re-
ncti,
livel-
tem-
aut
un-
æte-
uive-
rata-
tem-
vota
i Ec-
ufflas
fuit,
Mari
li ani-
Totos
man-
jusso,
anctē
mper,